

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthviani, Natione Bavari,
Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Pro fide, spe & charitate, precationes du[a]e.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

PHARETRÆ DIVINI AMORIS

Libri Primi Pars IV.

Continens in se varia exercitia & precatio[n]es pro virtutum infusione, castigatione que vitæ in vitijs transactæ.

Pro fide, spe, & charitate precatio.

PEr ineffabilem misericordiam tuam obsecro te misericordissime Domine Iesu Christe, infunde animæ meæ fidem simplicem & rectam, spem firmam, & charitatem ignitam atque perfectam, ut à cunctis erroribus & peccatis liber, intellectum meum in captiuitatem obedientiæ tuae Ecclesia tradam, atque omnem cogitatum meum in te projiciam, totumq[ue] me tuæ prouidentiæ credam: nihil ad creaturas respiciens, sed in cunctis paternam, amorisssimam, atque fidelissimam cordis tui curam & pietatem erga me intelligens, de manu tua omnia accipiam, pro omnibus te laudem & gratias agam, & in beneplacitum tuum totum me semper resignem, offeram & expendam, Amen.

Pro fide, spe, & charitate ad Patrem, precatio.

BEnignissime Domine Deus Pater, cum nulli obtinendæ salutis spes sine Theologicis virtutibus fide, spe & charitate reliqua sit, supplico excellentissimæ Majestati tuae, filij tui amantisissimi intercedentibus meritis, ut rectam, synceram, viuam illuminatamq[ue] interiori animæ meæ fundo, infundere digneris fidem, cuius virtute omnes meæ cogitationes cum intima tui fruitione in te subleuentur: spem item firmam atque securam, qua intellectus meus in virtutis tui claritate difatetur: charitatemq[ue] ignitam, per quam voluntas mea imperfecta ac instabilis in te omnium creatore firmetur atque solidetur.

Pro dilectione Dei, proximi atque inimicorum, precatio.

AMANTISSIME Domine Iesu Christe, qui dilexisti nos & lauasti nos in sanguine tuo, dulcis Iesu, qui dedisti in mortem animam tuam pro nobis, & cum sceleratis reputatus es, vulneratusq[ue] propter iniquitates nostras & attritus propter scelera nostra. Disciplina enim pacis nostræ super te, & liuore tuo sanati sumus. Per hanc charitatem & ineffabilem misericordiam tuam obsecro te, infundendi meo gratiæ tuae inextinguibile lumen, quo simul ardeat in me iuge incendium tuæ charitatis, ferueat, operetur, & crescat in me semper castissimus ac indeficiens affectus miserationis, compassionis, benevolentiæ ac pietatis, qui ad omnes creatureas tuas tui amore & contemplatione se effundat, & nihilominus inauertibiliter tibi semper inhæreat.

Amantissime Iesu, reple quæso animam meam, omnes sensus, vires, actus & affectus meos perfectissima, syncerissima, feruentissima, fidelissima atque perpetua charitate, ut te ex toto corde meo diligam in omnibus & super omnia: in te vero & propter te omnem proximum syncerissimè atque perfectissimè, secundum beneplacitum tuum. Dulcis Iesu, da mihi ut honorem tuum & animarum salutem ardētissimè

Apoc. 1. v. 5
Ila 53. v. 5.
& 12.

